Deo optimo max. uni & trino, Virgini Deiparæ, & ſancto Lucæ orthodoxorum Medicorum Patrono.

(1337) Livy 1437

QUÆSTIO MEDICA.

Quodlibetariis diſputationibus manè diſcutienda in Scholis Medicorum, die Jovis 14. Decembris.

M. FRANCISCO VERNAGE, Doctore Medico, Præſide.

An Monſtrum, Naturæ tribuendum erranti?

NATURA, Omnibus nomen uſitatiſſimum, comprehenſum Paucis. Effectuum univerſi cauſas detegere qui cupit, ac perſcrutari: diligentiùs hanc inveſtiget. Duplex: Univerſalis, Particularis. Hæc nihil aliud eſt, præter corporis cujus-libet formas, quibus diſtinctio rerum, atque varietas efficitur, corporaque conſtituuntur. Illa, Deus eſt; cujus voluntate omnia facta à principiò, & conſtituta ſunt, & reguntur, atque moventur. Motu, quem imprimit corporibus, tanquam primariò inſtrumentò, aliiſque corporum affectionibus, velut ſecundariis inſtrumentis, SOLUS efficit generationes, corruptiones, alterationes, cæteraſque hujus univerſi mutationes. Corpora movet legibus ab ſe ſancitis, quas raro, & ſolùm in miraculis tranſgreditur, ut oſtendat ſe naturæ particularis eſſe authorem. Legibus ſummè ſimplicibus, & fecundiſſimis, quibus hæc pulchritudo rerum; hæc ſpecies univerſi; hic tantus cœli ornatus potuerunt effici: mundus omnis adminiſtratur, & conſervatur; corpora inanimata, quæ quotidiè apparent, formantur; viventium à primâ rerum origine formata explicantur. Plantarum, brutorum, & corporis humani, quæ dicitur generatio, aptiùs nutritionis, & accretionis nomine deſignari debet. Generatione non producuntur, ſed vivunt; hujus ope minutiſſima illorum organa, anguſtiſſimo coarctata loco, ad motum inepta: mole aucta, majuſque adepta ſpatium, motui redduntur habilia, vitæque functionibus obeundis. Succus, ſeu alimentum, à quô organorum augentur ſtamina, movetur ſecundùm leges ab authore naturæ poſitas. Iiſdem legibus formantur monſtra in triplici viventium ſpecie contingentia.

VIVENTIUM organa tàm multa, tàm varia, tàm artificioſè concinnata ex ſemine, ſpirituum inſitorum motu diſtingui, coagmentari, efformari nullo comprehenditur intellectu: neque fœtus plures unâ, eâque minimâ ſeminis guttâ, vel leviſſimæ auræ afflatu procreari. Vitæ conſortia omnia ab Ovo. In hoc deſcripta ſunt; generationis beneficio recipiunt alimentum, quô aucta vivunt, oculiſque ſubjiciuntur. In plantis, ovi ſeu ſeminis pars, quæ continet plantam figuratam, germen dicitur; quod duas habet partes, Plumulam in folia & flores delineatam, & Radiculam. In animalium genere, Cicatrix appellatur. In germine plurimas alias plantas, in cicatrice multa animalia contineri, quæ ſucceſſivè, ſuôque evolvantur tempore; abſurdum non videbitur illi: cui notum eſt certiſſimis Mathematicorum demonſtrationibus; mirâ auri, argentique diſtenſione; pigmentis mole minimis magnam aquæ copiam inficientibus; animalculis Acaro longè minoribus microſcopiò detectis; materiæ partem perexiguam conſtare ex indefinitis partibus, in quas ſecari ac dividi poteſt. Plantarum ova fecundantur ab humore ſpirituoſô, puriſſimôque è floribus, aut fructibus, vices maris gerentibus, in ova, ſive ſemina fluente. Ab hoc Radiculæ & Plumulæ fibræ reſeratæ, ſuccis recipiendis aptæ redduntur. Tepido terræ calore, huic ubi credita ſunt ſemina, humor impellitur in germen; cujus radix primùm, caulis deindè, folia & flores expanduntur. Fecunda fiunt animalium ova à ſemine ſpiritibus turgido; illi, velut flamma tenuis, ovaria ponè uterum ſita pervadunt; ovi meatus coarctatos dilatant. Fecundatum ovum quæ ambit membrana, craſſior redditur; ex quô fit, ut compreſſum undique ovum per apertam ovarii rimam abigatur intrà tubam, cujus orificium, proboſcidis inſtar, rimæ tunc temporis applicatur, fibrarum lati ligamenti contractione. E tubâ, niſi in illâ augeatur, aut in ovariò, deſcendit in uterum, ejus fundo inſerendum humoris lenti è glandulis, ibi copioſis, manantis interventu. Uteri incubatione humor intrà ovi membranas concluſus magis ac magis extenuatur; in tenuiſſima radicis, ſeu umbilici per chorion & amnion ſparſa vaſa fertur, unà cum humore ſtillante ab utero. Hoc gemino ſucco ſimul fermentante amplificantur, amplificata in uteri papillas inſeruntur. E papillis qui fluit in radicem humor, chylus eſt; in tenuiſſimis umbilici vaſis fermentatur, & in ſanguinem vertitur. Continuò affluens humor diffunditur in exile corpus fœtûs; ab hoc humore ſtamina extenduntur, ac velut ſubtegmine implentur. Aucta organa moveri incipiunt, vitæque functiones obire. Suam adeptus magnitudinem fœtus ab utero excluditur. Hâc utique ratione conſervantur viventium ſpecies, & continuantur. Alimenti motu intrà fibras corporum formatorum fit generatio. Hic motus dùm à ſolitis tantùm cauſis determinatur, naſcitur vivens ſpeciei ſuæ omninò ſimilis organorum, membrorum conſtitutionis; ſi verò ab inſolitis, diſſimilis. Hæ variæ motuum determinationes, quibus modò ſimile, modò diſſimile naſcitur, cùm pendeant à legibus, quibus cuncta movet natura univerſalis: utrumque ab ipsâ proficiſci neceſſe eſt.

CORPORA plantarum, & animalium diſtinguuntur propriâ cuique generi organorum compoſitione. Variæ cùm plantarum, tùm animalium ſpecies ſuam quoque obtinent ſibi peculiarem partium ſtructuram, à quâ inter ſe diſcriminantur. Cujus-libet ſpeciei ſtructura certâ partium figurâ, & magnitudine, certô numerô, & ſitu continetur. Viventia quæ Aliam, Diverſamque habent à ſpecie ſuâ, in partium figurâ, magnitudine, numerô, ac ſitu; organorum, membrorum conſtitutionem, eamque admirabilem, & raram; Monſtra appellantur. Partum monſtrorum præſagire incredibilem partum malorum, vulgò creditur; explodenda hæc ſuperſtitio fuſa per gentes, quæ oppreſſit omnium ferè animos, atque hominum imbecillitatem occupavit. Monſtra totidèm, quot modi ſtupendi, rarique, quibus à ſuâ ſpecie viventia differre poſſunt. Modus ille quadruplex, figura, numerus, magnitudo, atque ſitus. Quadruplex idcircò differentia ſtatuenda. Monſtrum in figurâ contingit, quùm infans naſcitur ſuillô, equinô, caninô capite &c. Huic monſtro anima rationis particeps non deneganda; non immutatur interior cerebri ſtructura, exteriori illâ effigie, bruto non planè, ſed aliquatenùs ſimili. Quæ ferarum capita corpori humano adjuncta cernuntur in Tabellis: non ſic nata ſunt; verùm à Pictore efficta, qui caput humanum, ſpeciem aliquam canis præ ſe ferens, huic ſimile depingit: forsàn nè ars in eo deſideretur, ſi cani malè ſimile depinxiſſet. In hoc genere monſtrorum recenſentur à nonnullis, Fauni, Satyri homines ex capris nati; Marini homines, Syrenes mulieres ex piſcibus; homines ex brutis; bruta ex mulieribus: fabulæ. Mulierem murem peperiſſe, ſi divulgatum eſt, atque litteris mandatum: hujus commenti eccè cauſam. Mulier gravida infantis, ſpirituumvè motu decepta, murem utero gerere ſe credit. In doloribus imminentis abortûs clamat, ſe mox enixuram murem; cautè mus ſubſtituitur, ut fraude innoxiâ, læſæ phantaſiæ nocivus error auferatur. Monſtra in numerô, aut mutila ſunt, aut exuperantia. Mutila, infans abſque brachiis, cruribus &c. Exuperantia, puer duplici capite, trunco duplici, brachiis quatuor &c. In ſitu, infantis caput thoraci adnatum, oculi vertici, brachium collo. In magitudine, membrum aliquod reliquô majus corpore. Plantis ſua ſunt monſtra. Ex unô calamô plures ſpicæ exorientes; in foliis, fructibus plantarum aliæ adnatæ; arborum fructus plures juncti, uni pediculo inſerti; mira florum quorumdam, ac fructuum figura. Stupendam in monſtris organorum, membrorum conformationem, non inordinatam voca, ſed Inſolitam; non enormem, ſed Diverſam; non deformem, ſed Diſſimilem; non turpem fœdamque, ſed Aliam. Nulla deformitas, aut fœditas reperiri poteſt in iis, quæ ſunt effectus legum ſapienter conſtitutarum ab Eo, qui conſilio utitur ad incipiendum, ratione ad diſponendum, arte ad efficiendum, virtute ad conſummandum, poteſtate ad regendum, & continendum.

MONSTRORUM cauſa, duplex; Generalis, Particularis. Generalis, unica: Natura univerſalis. Particularis, multiplex. Generali, ſeu efficiente monſtrorum cauſâ ſemel notâ: Particulares, à quibus proximè pendent monſtra, ſedulò inveſtigandæ, ut eorum productionis ratio intelligatur. Monſtrorum quorumdam veritas inquirenda potiùs, quàm cauſa, nè re pœniteat rei falſæ cauſam perperàm inveniſſe: quod cauſarum magis, quàm effectuum ſollicitis frequens. Ut varia monſtra, ſic variæ phyſicæ cauſæ. Ex earum numerô expungenda facultas formatrix, cujus præcipuè imbecillitati monſtrorum origo aſcribitur. Inſuetô, miróque modò membrorum figura, magnitudo, & ſitus mutantur: anguſtiâ uteri, illius, aut vicinarum partium tumore, ventris compreſſione, grandiori placentâ, duriori molâ, multiplici fœtu, matris agitatione, commotionibus hyſtericis, nutrimenti abundantiâ, diversô ſapore, & motu, celeriorique illapſu. Ab his cauſis dùm teneræ, molleſque fœtûs fibræ comprimuntur, aut disjunguntur, atque divelluntur: fibrarum compreſſarum, vel ruptarum alitèr fit, quàm ſolet, amplificatio. Fœtus in ovô tenuiſſima eſt contracta, convolutaque tela, quæ, quùm humore nutritiô expanditur, rei cujuſvis impreſſiones facilè recipit. Monſtra mutila à ſimilibus naſcuntur cauſis. Eædem ſunt abortûs, molarúmque cauſæ. Humana monſtra, quæ membrô aliquô formam animantis, aut vultu effigiem gerunt: oriuntur à ſemine maris, vel à matris phantaſiâ. Formæ, & effigiei ſimilitudo non à ſemine primam, ut volunt, partium compoſitionem ingrediente, non à ſeminis ſpiritu partes conformante repetenda: ſed ab eôdem anteà formata, delineataque ſtamina reſerante. Spiritûs hujuſce motu, qui varius eſt in variis animalibus, fibræ cerâ molliores peculiari ratione inflectuntur; inflexis ſuccorum particulæ, quibus augeri debet fœtus, eô ſitu, eôque ordine apponuntur, quo ſimilitudo maris referatur. Nec mirum membrorum caracterem ſtaminibus imprimi ab hoc ſpiritu; cùm certam morûs determinationem in mare acceperit, ſimilitudinis effectricem. Patrem ex eô fœtus repræſentat: Matrem propter alimentum, ſpirituſque matris ad ipſum delatos. Hinc morbi, diverſæ Propenſiones communicantur. Hæ ſimilitudines fruſtrà obtenduntur adversùs ovum, tanquam invictiſſima argumenta. Non à quôvis mare fœmina fecundatur, niſi ſit inter utrumque proportio. Non ab omnibus diverſæ ſpeciei animalibus ſimul coëuntibus, monſtra. Monſtrum ex diversâ natum Venere, naturam feminæ retinet, maris aliquâ parte refert ſimilitudinem. Altera monſtrorum brutis ſimilium cauſa, phantaſia prægnantis. Mulier, quæ nupèr utero conceperit, vehementèr apprehendat animantis imaginem, edetur infans bruti effigie. A ſpiritibus animalibus quæ cerebro matris imprimuntur rerum veſtigia: ea ab iiſdem per nervos ad uterum, indéque unà cum ſuccô nutritiô per venam umbilicalem ad fœtum delatis inuruntur cereis fœtûs fibris. Par, ac ſimilis eſt eorum ratio, quæ in malaciâ accidunt; ſi gravida eô, cujus flagrat deſideriô, minimè potiatur: infans illius ſignum geret. Tot cauſarum, à quibus pendent monſtra, poteſtas in eô ſita eſt, ut ſpirituum, ſuccorúmque nutritiorum varios, quibus monſtroſè fœtûs partes evolvuntur, motus determinent: hoc fit præſcriptis à Deo legibus, quas erroris accuſat, qui monſtra appellat vitia.

IN monſtris partium numerus augetur conjunctione germinum ovis incluſorum; ſivè in eôdem duo ſint, ſivè duorum ovorum germina diſruptis membranis adhæreant. Germinum connexorum partes omnes ſi explicentur: oriuntur gemelli juncti; ſi verò ſingulæ non evolvantur, aut multæ evolutæ colliquentur: fœtus prodit in lucem duplici capite, truncô duplici, brachiis quatuor &c. Corpora coaleſcunt, quùm infantis exulceratæ, aut viſcidæ parti, alterius membrum applicatur. Monſtrum, quod parte aliquâ redundat, frequens in iis animalibus, quæ multiplices utero gerunt fœtus. Rariora in plantis monſtra, propter compactiorem earum ſtructuram; ſuccorum, quibus aluntur, tardiorem motum; terræ, in quâ ſeruntur, ſtabilitatem. Monſtrorum inter plantas naſcentium hæ cauſæ ſunt. Ex multis frumenti granorum plumulis, ſimul in terrâ coaleſcentibus, unus aſſurgit culmus, qui in tot dividitur ſpicas, quot granorum plumulæ coaluerunt. Pari ratione plures oriuntur fructus, ex unô petiolô dependentes, multiplici junctô intrà corticem pediculô. Arborum foliis enaſcuntur plantæ, his quià adhærent volitantia in aëre ſemina, quæ foliorum poris alimentum ſuſcipiunt, quô deindè in plantas explicantur. Florum, fructuumque forma mirè mutatur pro ratione cœli, & ſoli; pro ratione operis, & curæ; pro temporum eventu. Innumera omnis ſpeciei monſtra, non appellabit menda, & peccata prolabentis naturæ, qui meminerit eorum auctoriri legibus, non magis deerrantibus, quàm Ille, cujus voluntate latæ ſunt. His legibus tàm neceſſariè producuntur, ut, nè naſcantur, eas abrogari oporteat. Ineptè Philoſophi naturam in generatione monſtrorum, quorum ſtructuram imperfectam prædicant, erroris labe aſpergunt; cujus interim artificium ſummum, incredibilemque ſolertiam in perfectâ animalium fabricâ admirantur. Quaſi verò imperfecta eſſent ea, quæ conſultò effecta ſunt à cauſâ plenè, cumularéque perfectâ, à quâ perfectionem ſuam omnia mutuantur. Quô conſiliô genita ſint monſtra, detegere difficillimum. Organorum, quæ habent cætera animalia, utilitates quædam PROVISÆ nullô negotiô cognoſcuntur, ut potè quæ intuenti pateant; has contemplari non erit ſupervacaneum: Partium fabricatio melius intelligetur; Dummodò rejiciantur uſus, quos ab organis minimè petitos, mala ingenii fecunditas adinvenit. At quàm arduum finem ſcire tàm diſcrepantis, tàm variæ, quæ cernitur in monſtris, organorum, membrorum conformationis, atque coagmentationis! Hæc varietas rerum univerſitati affert pulchritudinem. Multi cùm animalium, cùm monſtrorum fines magnâ latent obſcuritate involuti, quos ſolus novit Is, *qui formavit hominis nativitatem, quique omnium invenit originem.*

Non ergò Monſtrum, Naturæ tribuendum erranti.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Joannes Daval Scholarum Profeſſor.
M. Claudius Quiquebeuf.
M. Michaël-Joannes Garbe.
M. Bertinus-Simon Dieuxivoye.
M. Joannes Baudin.
M. Guido-Eraſmus Emmerez.
M. Nicolaus Morin.
M. Carolus Patin.
M. Claudius Quartier.

Proponebat Lutetiæ ALEXANDER PETRUS MATTOT Pariſinus, Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1690.